



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Conradus Ep. 26. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

in arenam descendere. Et facti sunt tot viri à virgine se victos, & in flammam abjecti, manus Deo, & palmam CATHARINÆ dederunt. Illuc CATHARINA etiam Imperatricem, quæ ad vincitiam inviserat, carcerique præfectum Porphyrium cum suis præmisit. Ipsa ultima cum tyranno commissa primas tamen abstulit. Nam carceris tenebras cur non suspexisset, in quibus præsentem illi licuit Christum aspicere? Jam verbera ac plagas facile tulit, cum idem, ut promiserat, robur suppeditaret. Negatum verò undecim ipsos dies cibum potumque etiam contempsit, cum commeatus è cælo suppeteret. Quid? ingeniosam in tormenta rotam, velut melior fortuna calcavit. Denique virum (ut nobilis ævi nostri Poëta ait) credidisses, nisi cum caput ensis abstulit, virginem lac, quod pro sanguine fluxit, prodidisset. Meruit tanta virtus ab Angelis in monte Sinâ tumulari, & è tumulo hodie etiam CATHARINA oleum terris dividit; ut quod de suâ Pallade finxit antiquitas, de nostrâ sine mendacio possimus affirmare. *Ex Metaphr.*

Virgo Christus est, & Virginis filius, & virginem conjugem vult habere. Tu si habes Angelicam (plus dico vobis) Christi Matrisque suam gratiam, hilaresce, tripudia, & in amplexus Christi gestiens, illud amatorium clama suspirans; Osculetur me osculo oris sui. S. Bern. in Euang. de 10. virg.

S. CONRADUS EP. 26. Novembris.

CONRADVS infulam Constantiensem accepit à D. Udalrico Augustanorum Præsule. Fuit cum uterque cœnam frugalem sanctis de Deo sermocationibus aspergerent. Et erat is dies Jovis dicatus.

dicatus. jamque protracto ultra mediam noctem colloquio is expiraverat, Venerique cesserat; cum fores nuntius pulsat, admittitur, auditur, & pernae frusto ab inadvertente donatus dimittitur. Nimirum, aiebat ille ad alios, hoc est, in Veneris odium carnem edomare; simul carnem è sinu parabat producere, cum ecce piscem ostentat, jamque pisce suo magis mutus se ipsum damnat. Inambulabant aliàs animi causâ, & cadentes ex alto Rheini aquas arbitrabantur; cum geminas inibi animas volucrem indutas torqueri cognoverunt. Vix pro his ad aram fecerunt, & ad cælos visæ sunt evolare. Ceterum CONRADVS priusquam obiret, GEBHARDO nobili adolescenti sedem suam insidenti vates fuit, seriò id post se facturum, quod nunc per ludum faceret. Dum ad aram sacrificat, delapsus araneus in calicem se infert. quid faceret? eodem poculo & vita & mors propinabantur. Bibit tamen, & imperterritus à sacris mensæ accumbit. Ibi omnibus admirantibus ex ore araneus innoxius exit, meritò pedem efferre iussus à mensâ, quem invocatus intulerat. *Ex Membran. Eccl. Const.*

Opera misericordia, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis semper tenenda sunt; sive cum in publico sumus, sive cum in domo, sive ante homines, sive in cubiculo; sive loquentes, sive tacentes; sive aliquid agentes, sive vacantes. S. August.

B. SILVESTER CONF. 26. Novembris.

OCulos & aures advertite omnes Veneris columbi, & quam vos in aliis, in vobis alii depereunt faciem, in alienâ cum SILVESTRO con-

B b

templa-